

μὲν ὄρνις ιβ', Δηλείας δὲ τοσαύτας· ὁ δὲ τραγικὸς ιέ; ὡς Αἰσχύλος Ἀγαμέμνονι. Grammaticum istum Agamemnonem prae aliis fabulis nominare non aliam ob causam, quam quia in hac fabula chori personae singulae loquentes introducuntur, ex eaque re quindecim esse appareat, Hermannus sibi persuasit, cui solitum est, Grammaticos, ubi sententias, quas sibi finxit, confirmant, doctos, ubi contraria tradunt, ineptos appellare. Equidem non pro certo affirmarim Pollucis verba omnino vera esse, sed falsa esse certis argumentis evinci non potest. Aeschylus, qui primus Chori partes minuit, et numerum minuere potuit ita ut in Tragoediis, ubi Choro non primae essent partes, quindecim personas adhiberet, in iis autem, ubi Chori praecipue ratio habenda esset, ut in Eumenidibus, Danaidibus et similibus, antiquum numerum retineret, antequam lege cautum esset. Ita fieri potuit, ut Chorus Agamemnonis e quindecim, Eumenidum e quinquaginta constaret. In Tragoediis enim, trilogia conjunctis, eundem Chori personarum numerum observatum fuisse, nihil est, quod probet. Terrorem quem Chorus Eumenidum Atheniensibus incuteret, non numero Eumenidum excitatum fuisse, sed insolentia adventus Chori, cum Furiae singulae, alia post aliam, irruerent, ut numerus earum,